



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Triapostolatvs Septemtrionis

Caesar, Philipp

Coloniæ Agrippinæ, 1642

10. Continentia eius, & alia pia opera.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43650

SANCTI VVILLEHADI. 15
in eadem Presbyter est demoratus Parro-
chia: vocatus tamen Episcopus, & secun-
dum quod poterat cuncta potestate Præ-
sidentis ordinans. Percepta verò consecra-
tione Pontificali, cœpit in omnibus etiam
denotus se agere, & virtutum studia qua
priùs exercuerat multiplicius augmentan-
do cumulare.

C A P. X.

Continentia eius, & alia pia opera.

Namque à primævis temporibus ma-
gnæ vir iste fuit continentæ, ac de-
nori Domino Omnipotenti ab ineunte
seruinit ætate. Vinum &c siceram, ac omne
vnde inebriari potest non bibit. Esca autem
eius erat panis & mel, holeta & poma.
Namque ab esu carnium, à lacte & pisci-
bus, temperabat. Nisi quod memoratus
Apostolicus Adrianus ei iam in nouissi-
mo propter valetudines, quas in corpore
tolerabat frequentes, quod piscem come-
deret præcepit: Cuius auctoritati ipse ob-
temperans, paululum indulgentius in hac
parte agere cœpit. Præterea nullus ferè
dies transiit, quo non sacra Missarum
solemnia cum magno fletu ac contritione
cordis celebraret. Intentus erat iugiter
lectioni atque meditationi sanctæ doctri-
næ: Psalmodiæ quoq; pariter studiosissimè
inuigilans, ita ut penè cotidie Psalterium,
aliquando etiam duo vel tria decantaret.

His

His itaque & alijs bonorum operum exercitijs vir Dei suffultus, magnam populis insuimet ostentatione gratiam Domini praetendebat: Sicque doctrina eius duplici præfulgebat oraculo, dum quod prædicabat ore, confirmabat exemplo. Pertransiuit itaque in circuitu suæ Diœcesis vir iste Beatus, confirmans populum Christianum, qui olim baptizatus fuerat, & prædications verbo multorum ad viam salutis errantium corda compurgens. Ædificauit quoque Domum Dei miræ pulchritudinis in loco qui dicitur Brema, vbi & Sedem esse constituit Episcopalem, ac dedicauit eam Calendis Nouembri, die Dominico, in honorem Domini nostri Iesu Christi sub invocatione Sancti Petri Apostoli.

CAP. XI.

*Quomodo in Plexem agrotauerit, & mortuus sit,
Brema autem sepultus.*

Post hæc verò cùm studio piæ intentionis cunctā in circuitu perlustraret Parochiam, ac docens ea quæ Dei sunt plurimos in fide corroboraret: peruenit ad locum qui dicitur Pleccateshem, ibiq; consistens, graui cœpit corporis febre vexari & de die in diem languor crescebat fortissimus, ita ut cum eo positi Discipuli illius de vita eius vltiore iam desperare cœpissent. Quorum unus, qui Beato vi-

ro for-

*Templum
Brema adi-
scatum, &
Sedes Eps-
copalis ibi.*